



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros  
Decretalium, Tomus ...**

In Librum I. Decretalium, Per quadraginta, & tres Titulos distributum, in  
quo agitur De Constitutionibus, Seu Legibus universim ...

**Krimer, Ferdinand**

**Augustæ Vindelicorum, 1706**

Quæstio V. In Titulum V. De Postulatione Prælatorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73031)



personatus, aut duo officia, sive administrationes, vel dignitatem, vel personatum, & officium, absque Sedis Apostolicæ concessione obtineat; c. 1. h. t. in 6. Ex hoc colliges, consuetudinem à sacris Canonibus reprobam, vires acquirere nunquam posse, etiamsi jurata sit; sic cit. c. 1. & Layman ibid. nu. 2. quia *juramentum non est vinculum iniquitatis*; ut dicitur c. quanto 18. de jurejurando. Ex quo ulterius sequitur, cum hæc ipsa ratio in cit. c. 1. afferatur ad reprobendam illam consuetudinem, etiam juratam, ipsam omnino *iniquam esse*.

generali Episcopi ad eundem Episcopum appellare, ut dicitur c. 2. h. t. in 6. *junct. gloss. V. quancumque tempore, & V. officiali*; cum utriusque sit unum, idemque tribunal. Et ideo talis consuetudo est contra substantiam actus appellationis, qui petit provocationem ab inferiori ad Superiorem.

Reprobatur denique 9. consuetudo impediens, ne Legati Sedis Apostolicæ recipiantur, ut habetur in Extravag. *unic. h. t. inter communes*; & impediens ipso facto sententiam excommunicationis incurrunt; & quælibet loca, sic impediens subjecta, tam diu subjacent interdicto, quamdiu in pertinacia persistant.

1771

## QUÆSTIO V.

### IN TITULUM V. DE POSTULATIONE PRÆLATORUM.

1773. **A**bsolutis iis, quæ tanquam præliminaria ad totum jus, exponere oportebat, transitus fit ad modos, quibus acquiritur jurisdictio, & potestas Ecclesiastica. Et quoniam inter personas Ecclesiasticas primum, ac præcipuum locum obtinent Prælati, penes quos, veluti capita, est jurisdictio, & administratio Ecclesiarum, sive secularium, sive regularium; hi verò tribus modis ad Prælaturam assumantur, postulatione, electione, & translatione; de primo agemus hic, de duobus aliis sequentibus titulis. Quare non agimus hic de provisionibus beneficiorum universim (sic enim etiam veniunt sub eo nomine præsentatio, nominatio, institutio, collatio, &c.) & de illis ex professo agitur *lib. 3.*

#### ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex sit postulatio?

1774. **P**ostulatio, de qua hoc tit. agitur, tripliciter accipitur. 1. *latissime*, & sic cum electione confunditur, eamque sub se comprehendit. 2. *late*, prout indifferens est ad licitam, & illicitam, & sic definitur: *est gratia petitio, à Superiori facta, de promovendo aliquem ad prælaturam, ad quam de jure communit propter*

*aliquem defectum, vel aliud impedimentum eligi, seu promoveri non potest. 3. strictè pro licita tantum, & juxta Abbatem in Rubro, de postulat. Prælat. & Hostiens. in Summa, eod. tit. sic definitur: est simplex quadam à collegio Canonicorum facta apud Superiorem petitio, qua petitur, ut aliquis verè Ecclesie vacanti præficiatur, qui per impedimentum canonicum, quod non est animi, vel corporis vitium, eligi jure non potest.*

Postulatio, prout accipitur *h. t.* duplex est juxta Sylvest. V. *eodem*; altera *non solennis*, per cujus admissionem non comparatur postulato jus prælaturæ: ut si porrigatur ei, qui *dispensare non potest, sed consentire debet*, ut si postulent filium familias à patre, vel monachum ab Abbate, ut eis concedat eligendum in Episcopum. Altera *solennis*, per cujus admissionem dictum jus acquiritur. Nempe quia porrigitur ei, qui potest super omni impedimento postulati dispensare; hinc patet distinctio inter electionem, & postulationem: nam electio *juri* inhihitur; postulatio *gratia*; 2. hæc nullum jus tribuit postulato, antequam à Superiore admittatur, secus electio; *per gloss. in c. unic. V. electio, de postulat. in 6.* deinde postulatio est personæ jure impeditæ ad dignitatem; secus electio: electio indi-

1775



get solum confirmatione; postulatio ad-  
missione Superioris. Electus in electionem  
absolutè potest consentire; postulatus in  
postulationem solum sub conditione, si à  
Superiore admittatur.

## ARTICULUS II.

*Quid requiratur, ut postulatio sit  
valida?*

1776. **R**espond. ad substantiam, consequen-  
ter ad valorem postulationis tam so-  
lennis, quam simplicis, requiri tria.  
Primum est potestas in postulantibus; se-  
cundum, ut dirigatur ad illum, qui po-  
stulationem admittere potest; tertio ut po-  
stulatio fiat de illo, qui admitti possit à legi-  
timo Superiore. Quidam addunt quar-  
tum, ut postulatio sit *concors*. Sed Resp.  
sufficere illam esse factam à *majori, &  
saniori parte*; ita Zoësius hic num. 4. ex-  
cipe, nisi electio cum postulatione con-  
currat, & unus postuletur; alter eligat-  
ur. Tunc enim pro postulato duplò  
major numerus requiritur. Nam electio  
jure fit, postulatio solum gratià, adeoque  
fortior esse debet, ut illam vincat, c.  
*Scriptum, de elect.* Sed de hoc infra à nu.  
1794.

## ARTICULUS III.

*Qui possunt, vel non possunt postulari?*

1777. **R**espond. generaliter loquendò, illos  
tantum solenniter postulari posse,  
qui ob impedimentum canonicum eligi  
non possunt. Hinc *eligendus* non debet  
postulari; nec *postulandus* eligi, c. *sin. h.*  
t. ubi: *cum eligi nullo jure potuerit, sed po-  
tius postulari*. Loquitur autem de Epi-  
scopo electo ad aliam dignitatem, V.  
gloss. in c. *unic. de postul. in 6. V. eligo  
postulando*. Ex hoc tamen non sequitur,  
quòd omnis ineligibilis sit postulabilis;  
sed tantum *ineligibilis ob defectum dispen-  
sabilem*, in quo scilicet Superior possit,  
& soleat dispensare; ut colligitur ex c. 1.  
¶ *Nos igitur, junct. gloss. V. personam*.  
Tales defectus sunt, de quibus dicam *in  
seqq.* Hujusmodi autem defectus manife-  
stari debent Superiori; aliàs postulatio est  
irrita, c. *innovuit, 20. de elect.* & Abbas  
in c. *ult. h. t. n. 9.*

In specie autem postulari non potest. r.  
*perjurus in judicio; inobediens*, qui non  
paret voluntati, & sententiæ suorum Præ-  
latorum, c. 1. *de postul. Pralat.* ibi: Nos  
igitur, qui secundum Apostolum prompti-  
sumus *inobedientiam omnem ulcisci* ejus-  
dem Episcopi Altissioderensis *inobedi-  
entiam* attendentes, ne nil obedientia pro-  
desse videretur humilibus, si contemptus  
contumacibus non obesset: cum juxta ca-  
nonicas sanctiones quædam sint culpæ,  
in quibus culpa est relaxare vindictam,  
*postulationem hujusmodi*, non propter po-  
stulantem Ecclesiam, sed *propter postula-  
tam personam, repulimus ut indignam*. De-  
inde postulari non potest in Prælaturam re-  
gularem, qui nec tacite, nec expresse pro-  
fessus est, c. *cum causam, 21. de elect.* ubi  
non obstante, quòd plures Regimini Ec-  
clesiæ regularis, B. Petri Lucanensis  
præfuerint non professi, *electionem Pres-  
byteri B. ad eandem, regularem obser-  
vantiam non professi, Pontifex mandavit  
irritandam*; quia non debemus attende-  
re solummodo, quid factum sit; sed po-  
tius, quid sit faciendum; & c. *cum ad no-  
stram 37. eod.* ibi: cum ad nostram noti-  
tiam pervenisset, quòd H. qui se pro Ab-  
bate Lexoviensi gerebat, *non fuit ante  
Monachus, quam electus*: nos attendentes,  
quòd contra regulares traditiones illud  
fuerat attentatum, *cum nullam spem, vel  
promissionem habens, ut Abbas fiat, debe-  
at monachari*, electionem de ipso factam  
curavimus irritare. Sed limita, nisi sit  
necessitas, & paratus sit edere professio-  
nem, c. *cum monasterium, 13. de elect.* ubi  
alicujus non professi postulatio fuit admis-  
sa, ob defectum aliorum in eo monasterio  
ex dissoluta, & rejecta religionis obser-  
vantia. & c. *officij tui, 38. eod.* ubi reli-  
gionem primùm ingressus permittitur as-  
sumi in Abbatem, postquam instructus  
fuit in regula monachali, postulante id e-  
videnti, ac urgente necessitate ipsius mo-  
nasterij, carentis subjectò cateroquin ha-  
bili.

Tertio postulari non potest, qui labo-  
rat infamiâ morum, & ruditatis; ut si  
quis omnino illiteratus, vel in aliquo cri-  
mine notatus sit, & in eo perseveret; quia  
sic nec est eligibilis; Hostiensis hic in  
*Summa, n. 2.* Idem dicendum, si de-  
fectus, seu inhabilitas sit talis, in qua di-  
spen-



pensari non solet, ut si quis sit *bigamus*, *urius*, seu natus ex damnato coitu, c. *si cum pridem*, §. *persona verò*, de *re- nant*. Quartò postulari non potest *epi- leticus*, nisi fortè liberatus sit per annum, c. *um inter*, de *elect. c. communiter*, dist. 33. *Mutilatus*, c. *Exposuisti*, de *corpore dicit*. Huc etiam pertinet is, qui interdictionem loci scienter, ac temerè violavit, c. *1. de postulat. Prælat.* talis enim indignus est, ut pro eo postuletur; licet ex hoc, quòd postulatio facta sit in loco interdictionis, non sit invalida, ut notat Barbosa inc. *1. h. t. n. 2.*

1780. Præter hæc not. 1. prohibitam esse postulationem eorum, qui 27. ætatis annum non attingunt, sed solum ad Ecclesias Cathedralis, & si postulati (intellige, *si seculares sicut*) in Romana Curia postulationem per se, vel Procuratores prosecuti sunt, usque ad 35. annum ineligibiles, & impostulabiles fiunt ad omnes dignitates Ecclesiasticas, & beneficia quælibet obtinenda inhabiles. Et postulatio aliter facta, vel attentata, est irrita; & scienter postulantes talem, pro ea vice potestate postulandi sunt privati, ac per triennium suspensi ab omnibus beneficijs, quæ obtinent in illa Ecclesia, ad quam hujusmodi postulationem fecerunt; Extravag. *unicâ*, h. t. *inter communes*.

1781. Not. 2. Religiosos professos, cujusvis ordinis mendicantium, sic postulatos ad Ecclesias Cathedralibus minores, vel ad monasteria extra suos ordines, & suam postulationem prosecutos, in perpetuum ineligibiles, & impostulabiles esse, & inhabiles ad omnes dignitates Ecclesiasticas, vel beneficia obtinenda; Extravag. *cit.* Not. 3. Episcopum unius Ecclesiæ, si confirmatus est, ad aliam Ecclesiam, seu Episcopatum eligi non posse, c. *ult. de postulat. Prælat. junct. gloss. V. permissione* (idem dic de Archi-Episcopo, & Prælati Episcopò superioribus) posse tamen postulari c. *fin. h. t.*

1782. Not. 4. hoc procedere de Episcopo, etiam confirmato, esto nondum consecrato, c. *2. de translat. Episc.* non autem de tantum electo, esto in electionem consenserit; cum ante confirmationem Papæ possit electioni renunciare, quo posito evadit eligibilis, si nihil aliud obstat, c. *Cum inter*, 16. de *elect.* Not. 5. postu-

landum non posse eligi, esto omnia vota habeat; quia hæc non tollunt defectum postulandi, c. *fin. h. t.* Hinc nec electio ejus, qui secundum canones postulandus est, valet. Et quamvis in cit. c. *fin.* Pontifex dicat, talem electionem esse irritandam; intelligitur tamen irritanda *declarativè*, non *rescissivè*; quia statim subjungitur ratio: *cum eligi nullo jure potuerit*; Fagnanus in cit. *ult. nu. 5.*

Not. 6. cum alij Prælati Episcopò inferiores, etiam Regulares, nullo jure prohibeantur, quo minùs cum licentia suorum Superiorum ad Ecclesiam Cathedralis assumantur, ac eligantur, eos non esse postulandos *solemniter*, sed eligendos, c. *Si Abbatem*, 36. de *elect. in 6.* si tamen subjecti sint immediatè Papæ, transire de monasterio non possunt sine licentia Papæ, vel Legati à latere; si non exempti, proximi Superioris; ita Layman in cit. c. 36. *num. 1. & Clem. 1. eod.* ubi dicitur, Religiosum eligi non posse ad Prælaturam, non Episcopalem, alterius religionis, vel habitus; & si contra fiat, irritum esse: imò nec alterius Monasterii ejusdem ordinis, in quo vel non est professus, vel canonicè translatus, per c. *Cum singula*, 32. de *elect. in 6.* §. *Prohibemus*.

## ARTICULUS IV.

Quibus competat jus, seu potestas postulandi?

1784. Respond. potestatem postulandi competere omnibus, qui habent eligendi. Sumitur ex c. *Bona* 14. §. *Ceterum*, h. t. Ut autem postulatio admittenda sit, quando non conjungitur electioni (de quo casu dictum est *num. 1776.*) sufficit, quòd facta sit à majori parte Capituli. Nam ordinariè ad gesta Capituli sufficit; ut major pars consentiat, c. *1. de his, quæ fiunt à majori parte Capituli*. Et quod major pars Curie effecit, habetur pro eo, ac si omnes egerint, l. *quod major*, 19. ff. *ad mancip.* quibus positus:

1785. Quæres 1. an postulantes possint variare, seu recedere à postulatione? Resp. posse, antequam postulatio subscriptionibus postulantium munita, & Superiori præsentata sit; non autem post; quod



verum est, esto scrutinium apertum sit, esto nuntius ad Superiorem destinatus. Utraque pars sumitur ex c. *Bona* 4. h. t. ibi: *se enim, postquam postulatio superscriptio- nibus postulantium roboratur, & præsen- tatur Romano Pontifici approbanda, pos- sent ab ea recedere postulantes, nobis fre- quenter illuderetur, & iudicium nostrum ex eorum pendere arbitrio videretur.* Aliud est de electione, per quam acquiritur jus electo, quod ei per inconstantiam eli- gentium auferri non debet, c. *publicato, de elect.*

1786. Quæres. 2. an postulatio facta non vo- cato eo, qui est in possessione juris eligen- di, vel postulandi, sit irrita? Resp. non esse irritam, sed irritandam ad ejus pe- titionem, qui, cum debuisset, vocatus non est; sumitur ex c. *Bona*, 4. *junct. gloss. V. eis contemptis*, ubi id statuitur in casu non vocati ad electionem, & certè extenditur ad postulationem, cum electio, & postulatio in jure æquiparentur, & quod de uno statutum est, censeatur etiam statutum de altero regulariter; fallit enim in aliquibus. V. n. 1791.

### ARTICULUS V.

*A quo Superiore facienda sit postulatio?  
seu ad quem pertineat postulationem  
admittere, vel rejicere?*

1787. **R**esp. cum admissio postulationis vim confirmationis habeat, ut ex communi tradit Abbas in c. *fin. h. t. num. 10.* ab eo esse faciendam postu- lationem, à quo aliàs fieri deberet confirmatio, si præcessisset legitima ele- ctio; modò super impedimento, & de- fectu electionis potestatem habeat dispen- sandi.

1788. Ex hoc colliges 1. Episcopum ad alium Episcopatum à solo Papa postulandum esse. Nam cessio, seu translatio Episcopo- rum censeatur inter causas graviores Papæ reservatas, c. *quod translationem, de offic. Legat. c. majores, de Baptismo, c. ut debi- tus, de appellat.* Colliges 2. si minor 22. annis ad dignitatem (cui animarum cura est annexa, v. g. ad Præposituram sæcula- rem) fuerit postulatus, postulationem non posse admitti ab Episcopo; cum non pos- sit dispensare in defectu ætatis requisitæ ju- re communi ad ordines, vel beneficia, c.

*unic. de ætat. & qualis. ord. præfic. in c. & Trid. sess. 24. de reform. c. 12. ibi: ni- mo deinceps ad dignitates quascunquè, quibus animarum cura subest, promova- tur, nisi qui saltem 25. ætatis suæ annum attigerit, & in clericali ordine versans, doctrina ad suum munus exequendum necessària, ac morum integritate, com- mendentur, juxta constitutionem Alexan- dri III. in Concilio Lateranensi præmul- gatam, quæ incipit, cum in cunctis*

Not. autem, quòd Superior postulatio- nem sibi præsentatam possit rejicere, absque injuria postulati, quantumvis de se digni, & vel unanimiter, vel à duabus partibus Capituli ad Prælaturam postulti; cum hic per postulationem nullum jus acquisi- verit; sumitur ex c. *Bona*, 3. h. t. & c. *postulationem*, 5. eod. ibi: *Læet ergo per postulationem hujusmodi, nullum jus sit alicui acquisitum, ideòque sine præjudicio alicujus postulationem potuissimus repellere memoratam:* ut tamen vobis de speciali gratia consulamus, ita duximus provi- dendum, quòd per procuratores ido- neos, ad omnia sufficienter instructos, nostro vos conspectui præsentetis, quate- nus utraque parte præsentate, quod justum fuerit, decernamus; ita Innocentius III. ad Capitulum Strigoniense; qui eidem, ut habetur c. *Bona* 14. eod. cum aliqui pro Metropolitana Strigoniensi Ecclesia, quibusdam postulantes Archi-Episco- pum Colocensem, aliis postea Episco- pum Quinque-Ecclesiensem, rescripserit: *esset neutra postulatio admittenda,* jux- ta tenorem tamen posterioris rescripti ad nos de cætero Strigoniensis Ecclesiæ pro- visio pertineret. Quia verò non plenam de personis illius regni notitiam habeamus, ideòque non poteramus salvâ conscientia eidem Ecclesiæ in alia persona, quæ de Regno Hungariæ originem duceret, con- grue providere, nec vellemus ei præficere alienum, quamvis honestius videretur, si Suffraganeus ad Metropolim suam acce- deret, quàm Archi-Episcopus ad Metro- polim transferretur, partem tamen eli- gimus potiore. Et eundem Archi-Epi- scopum, in quem omnes, quorum consen- sus in electione, vel postulatione Pastoris requiritur, licet diversis temporibus con- venerant, à vinculo, quo tenebatur Co- locensi Ecclesiæ; absolventes, ad Metro-



polim Strigonensem transferimus, & ei licentiam tribuimus transeundi: pallium ei ad nomen, & usum ejusdem Ecclesiæ, transmissuri.

1790. Ex hoc apparet, quòd tota admissio sit gratiæ, non justitiæ, ut dicitur c. *Bona cit.* præsertim cum contineat gratiam dispensationis. Tenetur tamen ex debito officii admittere postulationem factam *ob necessitatem, vel utilitatem Ecclesiæ*, vel concorditer, vel à duabus partibus Capituli. Quia tenetur non impedire bonum publicum Ecclesiæ. Hinc si Prælatus inferior tali casu postulationem rejiceret, postulantibus possunt implorare officium Judicis superioris, ut compellat eum ad admittendam, intellige, si concors sit, & ex legitima causa, gloss. in c. *Bona*, V. *gratia*, arg. c. *nullus*, de jure Patronat.

## ARTICULUS VI.

## De forma postulationis.

1791. Quæstio est, an forma, seu solennitates, quæ præscribuntur in electione, ut fiat per scrutinium &c. de quibus titulo sequenti, etiam de necessitate servandæ sint in postulatione solenni? nam in simplici eam non requiri, communis tenet. Affirmativam sequitur Innocentius, & alii, negativam Hostiensis, Francus, & alii apud Pirhing *h. t. nu. 31.* Resp. licet tutius sit eas servari, non esse tamen de necessitate; quia sic postulantes tam parum possent à postulatione recedere, antequam Superiori præsentetur, quam possint recedere ab electione rite peracta, & quoad hoc in jure non æquiparantur, cum ratio solennitatum in electione, electo detur jus, non autem postulatio postulato.

1792. Not. tamen 1. requiri, ut vitetur verborum, & orationis confusio, per quam postulatio fieret incerta, v. g. *eligimus postulando, postulam eligendò &c. eligo postulandū, postulo eligendū.* Itè *eligo in postulandū, vel postulo in eligendū.* Nam sic electio, vel postulatio facta, ipso jure irrita est, c. *un. h. t. in 6.* Similiter prohibetur hæc forma: *eligo, & postulo, prout de jure melius videtur:* excipe, nisi quis rationabiliter dubitet, & hujus justam causam reddat. Nam eo posito, & soluto dubio, licebit ei, accepto optationis instrumentò intra mensem, alterutram viam eligere; Barbosa in c. *perpetuo h. t.*

1793. Not. 2. etiam necessarium esse, ut postulatio fiat collegialiter, vel *capitulariter*, à duabus partibus, vel majori parte; Fagnanus in c. *Bona*, 3. *h. t. n. 46.* item, ut insinuetur postulato, & habito ejus consensu, Superiori. Postulatus autem consensum dare debet intra mensem, nisi causa plus temporis tribuat; ita Zoësius *h. t. num. 10.* & consensus debet esse talis, ut non dicat: *consentio*, vel, *neque consentio; neque dissentio, sed me dispositioni Summi Pontificis* (vel ejus, à quo pendet admittere) *committo*; ne scilicet notetur ambitione; Pirhing *cit. n. 38.*

## ARTICULUS VII.

## De postulatione mixta cum electione.

1794. Cum quandoque contingat, in provisione Prælaturæ vacantis, esse aliquem, in cujus Personam inclinent plures electores, qui tamen non est eligibilis; sed tantum postulabilis; alios autem in alium, qui passivè eligi capax est; adeoque à majori parte unum *postulari*; à minori verò alium *eligi* ad Prælaturam vacantem; quæstio est, quid sit dicendum, an major numerus postulantium minori eligentium præferri possit, aut debeat? vel e contra? pro sententia, quæ affirmat, postulationem in ejusmodi casu præferendam esse electioni, citatur Passerinus in *tract. de elect. canonic. c. 24. n. 61.* cui videtur consonare glossa in c. *Scriptum 40. de elect. V. confirmes*, ibi: ubi duæ partes postulant aliquem, licet jus non acquiritur postulato, ut agere possit: tamen potest petere gratiam, & injuria fit ei, si non fiat illi gratia. *Et idem crederem, si major pars postulat, quòd gratiam deberet habere*; licet enim c. *scriptum* loquatur de duabus partibus, non credo necessarium; *hoc enim in eo puncto non continet jus commune; sed tantum quandam provisionem de consensu partium*, prout colligitur ex illis verbis: *si partes consenserint, hoc modo procedas.*

1795. Deinde communis sententia Canonistarum est, quòd à tempore S. Generalis Concilii Lateranensis, anno Christi 1215. celebrati sub Innocentio III. Pontificatus sui anno 18. *nulla electio canonica* reputari, aut confirmari valeat, nisi celebrata fuerit à *majori parte Capituli*; sic enim loqui-



loquitur Pontifex c. 24. quia propter diversas electionum formas, quas quidam invenire conantur, magna pericula imminet Ecclesiis viduatis, statuimus &c. ut is collatione habita eligatur, in quem major, & sanior pars Capituli consenserit, &c. alias electio non valeat. Quæ Conciliaris dispositio cum sit novi juris inductiva, expressè statuens; eam solam electionem valere, quæ à majori parte Capituli celebrata fuerit, & post huiusmodi Conciliarem dispositionem nulla in hanc usque horam alia emanaverit constitutio declarans, electionem à minori Capituli parte factam, ullo unquam excogitabili casu, pro canonica esse reputandam: hinc inconcussa remanet sententia, nullam dari posse electionem canonicam soli minori parti innitentem. Hoc ipsum variæ constitutiones subsecutorum SS. Pontificum c. Cumana, 50. c. In genesi. 55. c. Ecclesia vestra, 57. de elect. confirmant; suffraganturque Concordata Germaniæ in verbis: item placet nobis, quod in Metropolitanis, & Cathedralibus Ecclesiis fiant electiones Canonica, quæ ad dictam sedem deferantur, & si canonica fuerint, eas confirmabimus.

1796. Verum his non obstantibus communis tenet, ut postulatio concurrens cum electione, huic prævaleat, requiri, quod suffragia postulantium duplò plura sint, quam eligentium; ita Layman in c. scriptum, 40. de elect. n. 4. Gonzalez in c. 3. de postul. Pral. n. 15. Hostiensis in c. scriptum, 2. utrum jus, n. 13. Abbas ibid. n. 14.

Philippus Braun h. r. & alij communiter. Decisio sumitur ex cit. c. scriptum, 40. h. t. ubi agitur de hoc casu, & deciduntur sequentia: Primò, quod, ubi postulatio cum electione concurrat, postulatio admittatur rejecta electione, si numerus postulantium est duplò major, & postulatus dignus. Secundò, si postulatus sit indignus, postulationem, & electionem reprobari, si hoc major pars postulantium ignoravit. Tertio, si major pars postulantium scivit, postulatum esse indignum, & electus, licet à minori parte, sit idoneus, electionem confirmari, quod etiam faciendum est, si numerus postulantium non sit duplò major. Ex hac autem decisione clarè habetur, postulationem non prævalere electioni, quando cum illa concurrat, nisi habeat duplò majorem numerum postulantium, quàm sit numerus eligentium. Confirmari potest exemplò recenti, ubi Innocentius XI. postulationem Cardinalis Fürstenbergij ad vacantem Ecclesiam Coloniensem rejectit, & electionem Serenissimi Principis Josephi Clementis, ex Baviaræ Ducibus confirmavit, licet postulatus, ex 24. suffragiis Electorum habuerit 13. electus autem tantum 9. duobus reliquis in alios dispersis, ut patet ex Brevis confirmatorio Electionis Colonienfis dato apud S. Mariam Majorem, sub annulo Piscatoris, die vigesimo Septembris, anno M. DC. LXXXVIII. Pontificatus Innocentii XI. anno duodecimo: ejus autem tenor is est:

\* \* \*

## DILECTO FILIO JOSEPHO CLEMENTI EX DUCIBUS BAVARIÆ, ELECTO COLONIENSI INNOCENTIUS PP. XI.

1797. Dilecte Fili, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. Apostolatus officium, meritis licet imparibus, Nobis ex alto commissum, quo Ecclesiarum omnium sollicitudinem gerimus, salubriter exequi, adjuvante Domino, jugiter satagentes, solliciti corde reddimur, & solertes, ut cum de Ecclesiarum ipsarum regiminibus agitur committendis, tales eis in pastores præficere studeamus, quorum præsidio, & auctoritate, providaque directione, illæ non solum præfer-

ventur à noxijs, sed etiam, adspirante superni favoris aurâ, felicibus proficere valeant incrementis.

Sanè Metropolitana Ecclesia Colonienfi, cujus pro tempore existens Archiepiscopus, etiam S. R. I. Princeps, Elector existit, & cui b. m. Maximilianus Henricus ex Ducibus Baviaræ, dum viveret, Archiepiscopus præsidebat, per obitum ejusdem Maximiliani Henrici, qui extra Romanam Curiam debitum naturæ persolvit, Pastoris solatiò destitutâ, cum di-

lecti



lecti Filij Capitulum, & Canonici dictæ Ecclesiæ, ad quos occurrente illius Vacatione, electio Personæ idoneæ, illi ad electionem hujusmodi per Romanum Pontificem pro tempore existentem præficiendæ, juxta Concordata dudum inter Sedem Apostolicam & inclytam Nationem Germanicam inita, spectare dignoscitur, pro futuri Archi-Episcopi Coloniensis electione celebranda; vocatis omnibus, qui voluerunt, potuerunt, & debuerunt, Electioni hujusmodi commodè interesse, die ad id præfixâ, ut moris est, convenientes in Unum, alij quidem Te, qui Canoniatum, & Præbendam dictæ Ecclesiæ Coloniensis ex dispensatione Apostolica obtinens, ac dilecti Filij Nobilis Viri Maximiliani Emmanuëlis utriusque Bavariæ Ducis, S. R. I. Principis Electoris, fratris Germanus, & in decimo septimo ætatis Tuae anno constitutus existis, quiq; Ratisbonensi, & Frisingensi Ecclesiis, ex concessione pariter, & dispensatione Apostolica, munere Consecrationis nondum suscepto, præesse dignosceris, & fidem Catholicam, juxta articulos pridem à Sede Apostolica propositos, emisisti; ac cum quo per alias nostras in simili forma Brevis expeditas literas super ætatis defectu præfato, & super eo, quod memoratis Ecclesiis Ratisbonensi, & Frisingensi præesses, aliisq; impedimentis, seu defectibus, ad hoc, ut illis non obstantibus, in Archi-Episcopum, & Pastorem dictæ Ecclesiæ Coloniensis eligi liberè, & licitè posses, sub certis modis, & formâ tunc expressis, dispensaveramus, per viam serutinii in Archi-Episcopum Coloniensem, collatis in Te suffragiis, tertiam ipsorum Capitularium partem excedentibus, e-legissent: alii verò ex dictis Canonitis, quorum proinde numerus duplò major non fuerat, dilectum Filium nostrum Guilielmum Ægonem S. R. E. Presbyterum, Cardinalem de Fürstenberg nuncupatum, Ecclesiæ Argentinensis ex concessione, & dispensatione Apostolica Præulem, in sum, & prædictæ Ecclesiæ Coloniensis Archi-Episcopum postulassent, & Tu electioni præfata de Tui persona, sicut præmittitur, facta, legitime consensisses, atque electionis, & postulationis hujusmodi authenticum instrumentum à Capitulo, & Canonicis prædictis, Venetabili Fratri, Sebastiano Antonio Archi-Episcopo Damasceno,

Tom. I.

ad Tractum Rheni, & partes inferioris Germaniæ nostro, & Apostolicæ Sedis Nuntio, per eorum Syndicum traditum, ad Sedem prædictam transmissum fuisse.

Nos instrumentum electionis, & postulationis præfatarum, totumque petitæ confirmationis, & admissionis respectivè negotium ad Congregationem Venerabilium Fratrum nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium, rebus consistorialibus præpositam, discutiendum commisimus, ipsaque Congregatio, omnibus maturè, & diligentissimè perpensis, unanimitè omnium sententia, præfata postulatione de persona ejusdem Guilielmi Ægonis Cardinalis, & Præsulis repulsâ, electionem supra dictam de Tui persona, ut præfertur, celebratam, confirmandâ, ut infra, censuit; Nosq; ejusdem Congregationis sententiam, factâ Nobis relatione, approbavimus.

Hinc est, quod Nos eidem Ecclesiæ Coloniensi, ne diuturnioris vacationis exponatur incommodis, quantum Nobis ex alto conceditur, salubriter providere cupientes, ac sperantes in Domino, Te, cui præter generis splendorem, & Majorum tuorum, ac præcipuè memorat i Maximiliani Emmanuëlis Ducis, & Electoris Fratris Tui, novis indies clarissimis decoribus cumulatoria semper in Catholicam Religionem, & Sanctam Sedem merita, eximia pietas, egregiæque virtutes, cum ætatis ususque rerum accessione plurimum incrementi, Domino benedicente, suscepturæ suffragantur, dictæ Ecclesiæ multum utilitatis allaturum, omnesque seduli Administratoris, & suo tempore religiosi, circumspectique Præsulis partes impleturum esse, Teq; horum intuitu, specialis favore gratiæ prosequi volentes: ac Tui, nec non Venerabilis Fratris Joannis Henrici Episcopi Hieropolytani, moderni dictæ Ecclesiæ Coloniensis Suffraganei, ac Canonici, singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à jure, vel ab homine, qua vis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodata existunt, ad effectum presentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes: nec non omnia, & singula monasteria, etiam consistorialia, prioratus etiam conventuales, Canonatus, & Præben-

C c c

ben,



bendas, cæteraque beneficia Ecclesiastica, quomodolibet qualificata, quæ etiam ex quibusvis concessionibus, & dispensationibus Apostolicis, in Titulum, Commendam, vel administrationem, aut aliàs quomodolibet obtines, & expectas, ac in quibus, & ad quæ jus Tibi quomodolibet competit, *quæcunque, quocunque, & qualiacunque* sint, illorumque fructuum, reddituum, & proventuum veros annos valores, ac huiusmodi concessionum, & dispensationum, literarumque nostrarum præfatarum tenores, & alia quæcunque, etiam specificam, & individuum mentionem, & expressionem requirentia, præsentibus plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes: *motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostra, deq. Apostolica potestatis plenitudine, Electionem de persona Tua in Archi-Episcopum Coloniensem, sicut præmittitur, factam, tenore præsentium Apostolica autoritate confirmamus, ac quatenus opus sit, omnes & singulos tam juris, quàm facti, & solennitatum etiam substantialium, & de jure, vel consuetudine seu aliàs, quomodolibet requisitarum defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplementus.*

1798. Neque obstant in contrarium allata. Nam autoritas Passerini ex ordine Prædicat. relatè ad alios, qui talem postulationem electioni postponunt, nec ratione, nec lege intentum evincit, & fortè Passerinus non loquitur *loc. cit.* de postulatione aliter, quàm observetur jure privato sui Ordinis, cujus ratio sumi potest ex eo, quod allegat Barbosa in *cit. c. scriptum, num. 3.* ubi ad ea verba *cit. c. majorem facerent numerum*, notatur, inquit, ad hoc, quòd, quando concurrunt electio, & postulatio, data indentitate electi, & postulati, præfertur postulatio, si est facta à duabus partibus de tribus; quia illa, quæ fit à duplo majori numero, nititur juri, & gratiæ, ut dicitur per Jul. Lavor. *Var. lucubr. tomo 1. tit. 4. c. 14. num. 9.* ubi tamen ex Castellin. *de elect. c. 2. num. 8.* observat, *in Ordine Prædicatorum legitime postulatam illum dici, qui à majori parte eorum, ad quos electio spectat, postulatus fuit*; hæc Barbosa *loc. cit.*

1799. Neque obstat glossa, de qua *nu. 1794.* Negandum enim est, in *c. scriptum*, ut postulationi contra electionem locus sit, requirente duplo majorem numerum postu-

lantium, quàm sit eligentium, etiam si postulatus aliàs idoneus sit, non contineri jus commune, sed tantum provisionem specialem. Nam huic glossæ oppono alteram, *c. Bonæ, elig. 1. de elect. V. in tanta discordia*, ubi habetur: *ut postulatio præjudicet electioni, requiritur, ut numerus postulantium sit duplo major numero eligentium.* Nec etiam ratio, ex qua glossa nobis contraria procedit, fundamentum habet. Nam licèt ibi dicatur: *etsi partes consenserint, hoc modo procedas*, malè tamen dicitur, *modum procedendi*, vel in postulatione admittenda, vel in electione confirmanda *fuisse affixum, consensui partium sic*, ut in hoc concursu delegatus illum modum in definienda causa teneat, in quem ipsæ partes consenserint; nam hujus expositionis nullum habetur fundamentum, & textus explicatio longè rectiùs redditur, tenendò, quod dicunt *cit. Laymann, & Gonzalez.* Si enim verba Canonis bene attendantur, Pontifex ibidem scribens ad proximum Notarium suum, & mandans, ut post diligentissimam commissarum inquisitionem, eo modo, quem subjungit in eadem decretali, procedat, *si partes in eum consentiant*, per hæc verba nihil aliud voluit, quàm *ut, si partes in eum ut Judicem consenserint, non recusandò illum, juxta præscriptum modum procedat*, ut rectè observat Laymann *in paraphrasi ad cit. c. scriptum*; aliam etià expositionem V. apud Gonzalez in *cit. c. scriptum*, ubi refert totum Canonem.

Ad alia contrariorum fundamenta, de 1800. quibus à *num. 1794.* Resp. ab his immeritò confundi quæstionem *electionis pure, seu simplicis* (quin cum ea concurrat postulatio) *cum electione mixta*, seu concurrente simul postulatione; nec enim, quod jura statuunt de electione simplici, eo ipso etiam procedit in electione mixta; cum de hac extent jura prorsus alia, ut constat ex dictis *num. 1796.* quod affertur ex Concilio Lateranensi, sub Innocentio III. in *c. 24.* & habetur in *c. quia propter, 42. de electione*, manifestè loquitur de electione simplici, seu facta non concurrente postulatione; sed sic nihil facit ad intentum. Nec etiam reliqui Canones allati *nu. 1795.* aliud probant. Nam *c. Cumana, 50. de elect.* ut liquet ex toto textu, agit solùm de pura, & simplici electione sine ullius postula-



stulationis concursu. Nec aliud habet *c. in genesi 55. & c. Ecclesia vestra 57. cod.* Verba autem, quæ afferunt ex Concordatis Germaniæ, nullam apicem continent sententiæ contrariæ faventem. Minus autem subsistit, quod in principio argumenti supra *num. 1795.* dicitur, communem Canonistarum sententiam stare pro postulatione contra electionem, si plures sint postulantes, quàm eligentes. Nam si hoc dicerent de electione simplici, verum haberent; sed non de electione mixta cum postulatione, ut constat ex dictis *nu. 1796.* præterquam, quòd valde probabiliter ex *num. 1790.* nec Passerinus illis patrocinetur.

1801. Nec obstat, quòd post *c. scriptum*, conditum sub Innocentio III. subsequuta sit dispositio Capituli *quia propter*. Nam etiam ante conditum *c. scriptum*, ab Innocentio III. per Alexandrum III. in Concilio Lateranensi statutum fuit, de majori numero in quibuscunque Capitularibus actibus præferendò regulariter minori, quin huic per *c. scriptum* derogaretur, propterea, quòd loquantur de diverso casu: sed sic etiam est de eo, quòd habetur in *c. scriptum*; ac illo, quòd in *c. quia propter*. Hoc enim disponit de *electione simplici tantum*, illud de *mixta*: illud, ubi est electio cum postulatione, istud, ubi sine. Ineptè igitur inducitur iurium correctio, quando tam appetita eorum conciliatio habetur, præsertim etiam in decisione Summorum Pontificum fundata, ex *num. 1797.* Deinde Innocentius IV. Innocentio III. & Concilio Lateranensi posterior, ut videri potest apud Panormitanum *c. scriptum V. confirmes*, ad eandem contrariæ sententiæ objectionem (*nulla valet electio, nisi facta à majori parte Capituli*) post Concilium Lateranense IV. sic respondet: *hic habes notabile, quòd, quando contingit fieri unam postulationem, & electionem, non servetur illa regula, qua is eligitur, qui à majori parte.*

1802. Si autem quæras, quis sit effectus postulationis? Resp. præcipuum ejus effectum esse, quòd, si admittitur, det idem jus postulato, quòd confirmatio electo. Unde sicut electo confirmato datur administratio, sic etiam postulato admisso; Zoësius hic *n. 14.* & Abbas in *c. 1. h. t. n. 34.* Nam per postulationem etiam solennem, antequam admittatur,

Tom. I.

nullum jus acquiritur postulato, *c. per postulationem, 5. h. t.* ibi: *licet per postulationem hujusmodi nullum jus sit alicui acquisitum, ideoque sine præjudicio alicujus postulationem potuissimus repellere memoratam.* Diriguntur enim tantum vota ad Superiorem, ut de gratia velit admittere postulatum; sic Zerol. *in praxi Episcop. p. 1. V. Jus ad rem, §. 14.* Garcia de *benefic. p. 4. c. 3. n. 7.* Ex hoc sequitur, quòd postulatus, ante postulationem admissam, non possit suscipere administrationem Ecclesiæ; aliàs enim privatur omni commodò postulationis; & admittentes illum ad administrationem privantur jure suo pro illa vice, illudque ad Papam devolvitur; Cardin. Tuschus *lit. P. conclus. 459.*

## ARTICULUS VIII.

## De pœna postulantium indignum.

1803. Quæstio est, an qui *scienter* postulant indignum (cum scilicet, qui laborat vitio, seu defectu indispensabili, vel non solito dispensari) pro ea vice, ipso jure, seu facto privati sint potestate postulandi: respondet Zoësius *h. t. n. 5.* esse, qui negent eò quòd hæc pœna (quæ non est laxanda, sed restringenda) sit inducta contra *eligentes*, non autem *postulantes* indignum. Sed probabilius est oppositum ex *c. 40.* ubi rejecta postulatio, & ea pœna *postulantibus* imposita est, quia *indignum* postularunt; non autem, quòd postulatio indigni concurrerit eo casu cum electione, id, quòd etiam colligitur ex *c. 1. h. t.* ibi: *licet autem ex eo, quòd hominem, qui vestro non conveniebat proposito, postulastis, cum vos interdicti sententiam servaretis, ipse tamen eam contemneret observare, permisa vobis abusi fueritis potestate, ac ideo vos eà non immeritò privare possimus, cum juxta divina legis edictum, non liceat vestem induere de lana, linòque contextam: ne tamen &c.*

1804. Eandem pœnam incurrant ij, qui postulationem personæ indignæ temerè factam, & ob vitium personæ à Superiore cassatam renovant, aut repetunt, *c. gratum, 2. h. t.* cum enim plures è Canonicis Senonenfibus, postquam Pontifex postulationem ab eis factam cassavisset, postulationem cassatam denuo niterentur innova-

Ccc. 2

re;



re; Hostiensis Episcopus Apost. Sedis Legatus, cum illi eligendi privilegium hoc ipso amiserint, quia concessa sibi ex Apostolica Sedis benignitate abuterentur temere potestate, ac ideo ad alios, licet pauciores numero, quantum tamen ad hoc pertinet, consilio saniores, eligendi, vel postulandi devolutam esse licentiam, predictum Cameracensem ad eorum instantiam in Pastorem autoritate Apostolica providit, & deputavit ad regimen Ecclesie Senonensis: Pontifex factum ejus gratum, & acceptum habuit; jungens: nos igitur tanto id magis gratum, & ratum habentes, quanto in ejus promotione de mandato nostro, & beneplacito potius processisti, a sollicitudine Cameracensis Ecclesie ipsum reddimus absolutum, ut liberius gerat curam Metropolis Senonensis, quod a te factum est, auctoritate Apostolica confirmantes. Ex quo sequitur, quod si aliqui, licet pauciores, tali postulationi expresse contradicant, ad eos devolvatur potestas providendi Ecclesie, ut in presenti. Nam in delictis, quod a majori parte fit, non censetur factum ab omnibus; Abbas in cit. c. 2. n. 6.

1805.

Hinc esto tantum unus esset, qui toti electioni, vel postulationi non consentiret, ille solus Prælatum eligere, vel postulare possit; glossa communiter recepta in cit. c. 2. v. pauciores, & sumitur ex L. Sicut, §. in Decurionibus, ff. quod cujuscunque; ubi habetur, quod nomen Universitatis conservetur etiam in uno. Seipsum tamen non potest eligere, vel postulare, ne notetur ambitionis vitio, quo fieret indignus, c. per nostras, de jure Patronatus; c. in scripturis, 8. q. 1.

Not. autem, quando poena propter delictum a majori parte commissum, non potest cadere, nisi in totam communitatem (ut extinctio totius ordinis, everio civitatis) tunc ob crimen atrox majoris partis poenæ, subjici etiam minorem partem, licet innocentem; non autem si potest cadere in singulos; Bartolus in L. aut facto, 16. §. ult. ff. de poenis, n. 2. & Abbas in c. 2. h. t. n. 7.

1806.

Not. 2. postulationem, factam a minori, quam tertia parte, non debere admitti ex c. Bone, 3. h. t. nec obstat textus in c. Scriptum de elect. ubi, cum disceptetur causa inter quemdam electum, & alium

postulatum, deciditur, ut si duplo major fuerit juvenus numerus postulantium, quam eligentium, postulatus admittatur; ex quo habetur hoc argumentum: ad postulationem desideratur, ut postulatus habeat duplo majorem partem Capituli: ergo non sufficit major pars Capituli; respondetur enim in textu non agi de postulatione utrunque, sed de postulatione concurrente cum electo; tunc enim non pars major, sed pars duplo major desideratur, c. bone, 3. h. t. sic docet Bosquetus ad Innocentium lib. 3. epist. 44. regist. 15. Unde cum in hoc textu postulatus non concurreret cum electo, sufficit major pars Capituli, ut electio admittatur.

Not. 3. quando superius n. 1777. diximus, eos, qui jure sunt ineligibiles, postulandos esse, posse opponi contrarium ex textu c. In Ecclesia vestra, 57. de elect. ubi vacante quadam Ecclesia Canonici elegerunt sibi in Episcopum Cardinalem quendam; & talis electio non cassatur a Pontifice, imò supponitur, Cardinalem eligi posse in Episcopum. Sed Resp. nos loco cit. non locutos de Cardinalibus, non Episcopis; nam Canonici, & Cardinales non Episcopi non contrahunt Spirituale matrimonium cum Ecclesia; hinc eligi possunt, & non est necessaria postulatio: textus autem in cit. c. 57. expresse loquitur non de Cardinali Episcopo; sed Cardinali Canonico Catalaunensi. Aliam responsonem dat Gonzalez inc. 4. h. t. n. 16. sed videtur violenta; quamvis etiam procedat, supposito privilegio, quod ibidem allegat n. 1. v. Clericis, ubi ait: nonnullarum Ecclesiarum Canonicis indultum a Pontifice, ut appellentur Clerici Cardinales per c. illud, dist. 33. & gloss. in c. Pudor, 32. q. 2.

Neque dicas: ut Episcopus eligatur ad aliam Ecclesiam, non obstat illi nexus, & alligatio cum sua Ecclesia. Nam Clericus alligatus est Ecclesie parochiali, adeo ut inconsulto Episcopo ea dimittere non valeat, c. admonet, de renunt. & potest eligi ad aliam dignitatem, c. inter canonicos, de elect. similiter Abbas immediate subiectus Romano Pontifici, qui sine ejus, vel Legati licentia dimittere eam dignitatem non valet, c. cum venerabili, de consuet. tamen potest eligi in Prælatum alterius monasterij, c. Abbatem, de elect. in 6. cr-

1807.

1808.



6. ergo ut Prælatum unius Ecclesiæ transferratur ad aliam, non est necessaria postulationis, sed sufficit electio. Resp. enim cum distinctione ant. non obstat nexus, & alligatio *qualiscunque*, C. alligatio, quam habet ex vinculo conjugij spiritualis cum sua Ecclesia, N. ant. & conseq. Et ex hoc solvitur etiam probatio. Verum quidem est, Parochum alligatum Ecclesiæ posse eligi, non verò postulari in Prælatum, dicit. c. Si Abbatem: docent Turriscremata, & Acunna in c. Osius, 61. dist. Abbas in præfenti, n. 6. & 8. quia inter Paro-

chum, & Ecclesiam non datur verum matrimonium spirituale, quia Parochus non habet perfectum pastorale officium, nec vinculum perpetuum, quod est de substantia matrimonij: unde fit, quòd licet Episcopus non possit ingredi religionem sine consensu Pontificis, c. nisi cum priorem, de renuntiat. Parochus tamen potest sine consensu Episcopi religionem profiteri, c. due, 19. q. 2. D. Thomas 2. 2. q. 184. a. 9. in corpore: unde eligi potest in Prælatum, non verò postulari necesse est.

## QUÆSTIO VI.

### IN TIT. VI. DE ELECTIONE, ET ELECTI POTESTATE.

1809. **H**ujus tituli potissimus usus est in Germania; nam in plerisque alijs Regnis, & Provincijs, Principes ex indulto Pontificis, tum ad Episcopatus, tum ad omnes primas dignitates Ecclesiasticas nominant personas habiles, & Pontifici confirmandas, vel instituendas præsentant. *Electio* in genere significat personarum delectum ad beneficia, dignitates, vel functiones Ecclesiasticas; in hac significatione tripliciter accipitur. 1. *latissime* pro quacunque vocatione, approbatione, vel institutione personæ ad beneficium, facta per sedulam inquisitionem: & hoc sensu etiam postulatio, nominatio, præsentatio, collatio, *electio* dicitur; 2. *late*, pro eo actu, quo alicui jus tribuitur per suffragia, & alterius confirmationem: 3. *strictè*, & canonicè, pro idoneæ personæ ad Ecclesiam, suo Præpositò viduatam, servatâ juris formâ, ritè, & legitimè facta optione; sic Hostiensis in *Summa, de elect.* brevius autem definiri potest, *alicujus hominis ad Ecclesiam, Pastore destitutam, canonicè facta vocatio.*

1810. Ex data definitione electionis strictè, seu propriè acceptæ deducitur 1. electionem differre à *Nominatione*; nam hæc contingit, quando unus, vel plures, tanquam idonei ad Prælatum, proponuntur à Capitulo, quamvis Capitulares possint etiam alium à nominatis eligere, ut colligitur ex c. sicut h. 2. & hæc est nominatio non solennis, quæ interdum præmittitur electioni: *solemnis* autem est, qua Collegi-

um, vel Capitulum duos, vel tres, aut etiam plures, cæteris præstantiores, deligit, & eorum nomina scripto solenniter inserta, Summo Pontifici, vel alteri inferiori Antistiti mittit supplicandò, ut unum aliquem ex iis Ecclesiæ vacanti præficere velit; Streinius p. 6. tit. 6. §. 3. num. 9. illa porro *nominatio*, qua unus nominat certam personam ad vacantem Ecclesiam, vel beneficium; alius verò præsentat, ita, ut alium à nominato præsentare non possit, re ipsa, & in effectu à præsentatione non differre videtur. Nam talis præsentatio nihil aliud est, quàm executio nominationis prius factæ, quæ est præsentatio mediata, sicut posterior immediata.

Deducitur 2. electionem differre à *præsentatione* 1. quia jus præsentandi, seu jus patronatûs, quod spirituale est, ex gratuita Ecclesiæ concessione, ad laicos etiam pertinet, qui Patroni sunt, id est, fundatores, constructores, aut dotatores Ecclesiarum, & beneficiorum: at verò jus eligendi laicis Ecclesia non concedit. 2. per electionem publicatam acquiritur jus electo, saltem remotè, ut ejus consensus requirendus sit: non ita verò per præsentationem. Nam si Patronus laicus aliquem collatori ordinario præsentavit instituendum, non prohibetur alterum præsentare; ita ut in optione collatoris sit, quem illorum instituere malit. Tamen verò in patronatu Ecclesiastico talis optio concessa non sit, sed qui prius præsentatur, institui debeat, si idoneus sit; tamen differentia adhuc est inter